

pus enim illud ad numerum tot saeculorum, quae pia antiquitas in expectatione Messiae consumserat, relatum, paucum erat, quatuor enim circiter saecula comprehendebat; ea itaque aetate, qua Haggaeus vixit, non tam longe, quam tot saeculis iam praeterlapsis fuerat, a fine suo aberat gentium expectatio de Christo concepta, cui ut vates satisfacerent, suum **נִזְמָעַת הָיָה** aut **פֶתַחַם** Malac. III, 1. adhibebant, quod, uti ex utroque loco patet, tempus denotat, stante adhuc templo secundo futurum.

§. 12.

Tria sunt in oratione Pauli magnopere perpendenda, primum, unde motui illi coelorum ac terrae tanta virtus, ut commutationem testamentorum efficeret? Alterum vero, quomodo V. T. abrogaverit? Postremum denique, quo pacto N. T. ut regnum esset immotum, stabiliverit? Nemo est, qui naturae motuum terrae vulgarium tantam tribuat virtutem, ut religionum aut mutationem aut confirmationem efficere valeant. Quare, si Paulus eam terrae ac coelorum motus, in morte Christi observati, virtutem fuisse docet, ut Vetus antiquaret, Novum vero stabiliret, eam non ex natura terrae motus, verum ex peculiari promissione divina, quae cum illa erat coniuncta, repetit. Coniunxit autem Deus cum eo promissionem de institutione N. T. morte Christi sancienda, commate, quod statim sequitur, octavo. Non caret ea res exemplis, Deum interdum iis, quae alias in rerum natura frequenter contingunt, sapientissimo consilio certum in finem, ab aliis eiusdem generis remotum, uti, ut promissio praecipuae & quasi propriae, quae cum iis coniuncta est, satisfaciatur. Saepius iridem in nubibus conspicimus, forte etiam saepius ante diluvium coelum ornaverat; at quam primum post diluvium apparebat, Deus ea utebatur signo foederis sui cum uni-